ORATIO HABITA IN COMITIIS RATISBONENSIBUS A REUERENDISS. EPISCOPO...

Joannes Kutasi

Digitized by Google

ORATIO
HABITA IN COMITIIS RATISBONENSIBVS
A REVERENDISS. EPISCOPO TAVRICEN.
Die XXVIII. Iunij M. D. XCIIII.

ALL'ILLVSTRISS.MO ET REVERENDISS.MO
SIG. ET PATRON MIO COLENDISS.
IL SIGNOR CARDINAL FARNESE.



IN VRBEVETERI, Apud Antonium Colaldum,
CIƆ IƆ XCIIII.

PERMISSV SVPERIORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALL'ILLVSTRISS.MO ET REVERENDISS.MO SIG. ET PATRON MIO COLENDISS.

IL SIG. CARD. FARNESE.

NON per veſtirmi (come ſi ſuol dire) delle veſti altrui per vanaglioriarmene mi ſon' moſſo Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Sig. à dare ordine che ſia ſtampata queſta Oratione fatta in Dieta da Monſig. Reuerendiſs. Veſcouo di Ghiauerino, ma ſi bene per cõpiacere à molti amici, che di copia me ne ricercauano, & penſando poi; che hoggi dì non è ſi preſto vna coſa fuori, che mille cenſori vi ſono che vi vogliono argomentar' ſopra ; Mi ſon' reſoluto mandarla ſotto l'ombra di V.S. Illuſtriſs. ſi per chiudere la bocca à detti emoli, come anco deſideroſo di dar' qualche ſegno della mia deuota ſeruitù à V. S. Illuſtriſs. in ſupplicarla adunq; che con lieto animo inſieme col picciol dono riceua queſta mia buona volontà, la qual diſpoſta, & acconcia ſempre à ſeruire V.S. Illuſtriſs. in ogni occaſione, la honora & l'oſſerua in tutte le belle & pellegrine operationi di V. S. Illuſtriſs. alla quale bacio humiliſsimamente le veſti Che N. S. Dio la feliciti & conſerui lungamente. Di Ratisbona à xvj. d'Agoſto 1594.

Di V. S. Illuſtriſs. & Reuer.

Deuotiſs. & Partialiſs. Seruo

Giulio Papi Romano.

Digitized by Google

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISS. Venerabiles, Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Strenui, ac Circumſpecti Sac. Rom. Imperij Electores, Principes, Cæteriq; Status, & Ordines, Domini, Domini, Patroni, & Amici Colendiſſ.

QVAM florens olim Regnum Hungariæ fuerit, & quantum cæteras Europæ partes omnium propemodum rerum abundantia præcelluit, quanto demum ſtudio contra immaniſſimum totiùs Chriſtiani Orbis Hoſtem Turcham, non ſe tantum, ſed & vicina Regna propugnauerit, ac defenderit perpetuò fortiter, nemo ex Vobis eſt, Principes, Cæteriq; Status, & Ordines clariſſimi, qui vel ex antiquarū Hiſtoriarum lectionibus vel ex quotidianarum rerum experientia ſibi penè perſpectum non habeat. Si enim quis in primis amplitudinem, & potentiam illius mente recolligat, eam certe tantam fuiſſe inueniet, vt & Regna & Prouincias ſibi ſubiectas habuiße, negari non poſſit. Se verò de diuitijs & opibus loquendum ſit, eæ in Hūgaria adeò magnæ ſemper fuerunt, vt et inde gentes ſatis ſuperq; habuerint, & vicinis quoque Regnis non contemnenda inde auxilia ſuppuditari potuerint. Iam ſi militia gentis conſideretur; ea vt fuit contra ferocem & truculentam Mahumetis proſapiam inſtituta, & vt per plurimos annos durare debuit, & quidem à toto eo tempore ad præſentem vſq; horam, quo impoſtor ille nefarius, nomen Chriſti Dei filij, noſtri omnium redemptoris benigniſſimi virulenta ſua lingua proſcindere, ſuiq; dogmatis ſectatores in nos Chriſtianos concitare, & animare incepit; ita ſanè omnium iudicio, non Hungaris tantum, ſed & alijs Regnis, ac omni populo Chriſtiano vtilis, ſalutaris, neceſſariaq; fuit. Statum florentem Hungaria, tamdiu retinuit donec inclinantibus iuſta Dei ira Regni rebus, amiſ-

ſiſq;

ſq; diuerſis vicibus multis ſuis fortiſſimis Regibus, ac præcipua Hungariæ Nobilitatis parte, multis porrò cladibus affecta, plurimiſq; bellorum motibus grauata, infinitiſq; cædibus fatigata, & omnibus viribus eneruata præſentem afflictum & infælicem ſtatum adipiſceretur. De hoc poſtremo Hungarorum ſtatu plura hoc loco referri poſſent, niſi omnia, quæ dici in hanc ſententiam deberent, ita tenerent veſtrum quilibet, vt facile ipſimet iudicium de rebus noſtris ferre queatis. Quid enim potuit aliud nobis ex continuis bellis & armorum ſtrepitibus exoriri, & ſubſequi, quàm tanta vaſtitas paupertas, deſolatio, ac interitus? quot putatis hominum millia, ſaltem ab eo exiguo tempore (vt antiquæ calamitates taceantur) quo nuperrimè rupto fœdere, ſpretoq; iuregentium hic Turca Sacratiſſimo Regi noſtro bellum prius intulit quàm indixit ex Hungaria eiuſq; partibus in captiuitatem abducta eſſe? Quot fidelium animas exiſtimatis trucidatas, extinctas, & necatas eſſe? Quot creditis oppida, villas, & poſſeſſiones (non ita pridem opulentiſſimas) funditus deletas eſſe? Nemo Hungarorũ eſt, qui ex hiſce bellis adhuc ſuperſtes eſt, qui vel parentem, vel fratrem, conſanguineum, aut filium, Nepotem, vxorem, filiam, ſeruum, vel caſtrum, villam, oppidum idq; genus rerum non lugeret, & non ingemiſceret. Eò deuenerunt plurimorum Nobilium res & conditiones, vt ruſticos potius quàm nobiles eos quis eſſe iudicaret. Cuius rei ſi quis cauſam querat, ea ſanè alia non eſt præterquam quod prima ſemper fuerit Hungaria rabiei Turcicæ expoſita. Cum enim nefandus hic Turcha, dominandi, ac Imperij ſui in immenſum proferendi libidine allectus, eum ſibi ſemper ſcopum propoſuerit, vt ad hæc ſacri Romani Imperij viſcera penetraret, debuit vtiq; obuia quæq; ſibi Hungaria eiuſq; partiũ præſidia, tamquam loca ſibi viciniora, primum & ante omnia attentare, quibus exciſis, & captis, ac in poteſtatem redactis facilè finem ſui animi aſſequi poſſet. Pro Vobis itaq; ac pro toto Chriſtiano populo ſubiuit Hungaria tot calamitates, fudit ſanguinem, dedit vitam, ac deuenit ad extremam paupertatem; Quæ pertuliſſe Hungaros ideo nunquam penitebit, quòd ea in Republica Chriſtiana ſingulare commodum eſſe optimè videret. Quæ poſthac quoq;, imo ſi neceſſitas ſic exigat, etiam maiora quæq; ijs perferre, & Deo propitio, ſe atq; vicina Regna atq; adeo totam Chriſtianitatem pro viribus armis defendere, in eamq; rem omne ſtudium conuertere, quin propria etiam corpora exponere ac ſanguinem ipſum, vti hactenus

ſecerunt profundere, priſtinæ virtutis memores promptiſſimi ſemper
erunt dummodo ſuum Regem, ſeq; à vicinis Regnis & Prouincijs re
ipſa ac potenter adiutos eſſe ſentiant. Veriſſimum quidem eſt Regem
eorum, quem Dei beneſitio habent, paternæ, ac Auitæ virtutis ſtu-
dioſſiſſimũ tanta ſemper Imperij, & gubernationis diligẽtia floruiſſe.
& in præſentiarum quoque florere, vt nihil ſibi in vita, Hungaricæ
nationis commodis, ſaluteq; magis expetendum ducat. Namque
ſiue ea, quæ ad fœdus ſanctè cum hoſte ſeruandum pertinent ſpectẽn-
tur, ſiue autẽ armorum, contra eundem hoſtem capiendorum præpa-
rationes conſideraremus, vtroq; modo certè ea nobis præſtitit, quæ
tanto Principe, & Monarcha digna fuerunt. Modo verò, cognito
fide fragio hoſtis, & re ad apertum, bellum deueniente, ne fratribus
quidem vterinis pepercit, ſed alterum eorum ad Sclauoniæ fines,
alterum verò in Hungariam cum copijs ablegauit. Regno autẽ tam
proprio, quàm etiam Regno Hungariæ, prouinciarumq; hæredita-
riarum, adeò non peperit, vt in Hungaria quidẽ vix vllã triceſſimã,
nec vllum Coronæ peculium quis inuenire poſſit, quod non multis de-
bitis grauatum eſſet. At exhauſtis iam propemodum, & euacuatis
omnibus harum noſtrarum regionum neruis, niſi aliunde ſufficientia
præſtentur ſubſidia; quid porrò aliud ſperandum eſt, quàm vt aſſum-
pta arma deponantur, & debellatis reliquijs Hungaricis, hoſtis in
hac Sacri Romani Imperij viſcera arma confeſtim conuertat, & Re-
gna quæ hactenus quietam vitam duxerunt poſtmodum perpetuos
armorũ ſtrepitus præſentiant, ac Turcicæ ditioni ſubiecta, iura à pa-
ganis cum dedecore, & ignominia accipiãt? Hæc omnia breui ſtilo,
Principes, Electores, Cæteriq; Status & Ordines Clariſsimi ideo
Hungaria vobis recenſet, vt videatis quibus in periculis res tam
Hungarorum quàm Veſtræmet, atque adeo orbis Chriſtiani poſitæ
ſint. Negotium nobis eſt cum Tiranno, & cum Turcha, cuius ea
natura, talesq; ſunt mores, vt nec officio, aut obſequio vllo ſatis flecti,
neq; largitione expleri poſſit: Id ſolum honeſtum, id pulchrum,
quod vtile putat: leges verò ſuæ id ei præſcribunt & mandant, vt
Chriſtianos deleat: Sanctum, Pium, & Deo gratum cenſet ſi ſan-
guine Chriſtiano manus polluat, & defœdet. Iniurijs laceſſere, cir-
cumuenire, ac dolo, vel vi à nobis aliquid obtinere, id ingens lucrum
reputat. Videtur quidem nunc poſt acceptas per Dei gratiã aliquot
clades, veluti tacere, & facti, fide fragijq; ſui penitere. At vulpe-
cula eſt aſtutiſſima, & vbi primum, vel minimam occaſionem ſibi
oblatam

583114

Digitized by Google